

- A** paginæ professoribus, Michaeli de Nauers, Nicolao Vuordis iuris utriusque, & lo<sup>o</sup> anni Belles decretorum doctoribus, & eorum maiori parti, quatenus super præmissis omnibus & singulis ac eorum circumstantiis, dependentibus & connexis, ac alijs ad ea quomodolibet facientibus, illorumq; notorietate, fama & clamore, ac etiam quæ loca insignia cõsistant uiciniora dicto castro Panistole, ad qua sit turus accessus, sum<sup>o</sup> marie & diligenter inquirant, testes & alia probationum genera recipiant, & examinent, eorumq; dicta & attestaciones & alia quacunque inuenerint, in scriptis & forma publica redigant, seu redigi faciant, & ea etiam sacræ synodo representent, & si deliter referant, ut exinde ipsa synodus procedat, decernat & statuat, prout ad pacem & salutem ecclesiæ & fidelium, extirpationem schismatis & unionem ipsius ecclesiæ secundum iustitiam uidebitur expedire. Datq; eisdem commissarijs & maiori ipsorum parti testes, per censuram ecclesiasticam compellendi ueritati testimonium perhibere, & alios quoscunque præstantes ad prædicta impedimenta coercendi, & alia faciendi circa præmissa necessaria & etiam opportuna, plenam & liberam potestatem. Lecta autem dicta ordinatione, dictus patriarcha Antiochenus pro omnibus dictæ synodi nationibus & de ipsarum consensu respondit, per uerbum placet. Et præfatus dominus Ostien<sup>o</sup>, nomine collegij cardinalium similiter respondit, placet.

## SESSIO VIGESIMA QVARTA PRO

citatione decernenda contra Petrum de Luna.

**D**IE sabbati uicesimo octaua dicti mensis Nouembris, fuit sessio generalis per synodum Constantiensem mane hora tertiariam in ecclesia maiori prædictæ Constantiensi sollemniter celebrata, in qua reuerendissimus pater dominus patriarcha Antiochenus officium missæ celebrauit. Quo finito, more altarum sessionum legebantur letaniae. Præsidebat autem sessioni dominus Ioannes episcopus Ostiensis. Reuerendissimus autem pater dominus Stephanus episcopus Dolensis, de mandato & ordinatione sanctæ synodi et ordinatione ipsorum commissariorum, legebat citationem decretam contra Petrum de Luna, cuius citationis tenor sequitur, & est talis:

¶ Tenor citationis contra Petrum de Luna.

- C** Sacrosancta generalis synodus Constantiensis in spiritu sancto legitime congregata uniuersalem ecclesiam representans, uniuersis & singulis uenerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ac dilectis ecclesiæ filijs abbatibus, prioribus, præpositis, decanis, archidiaconis, tam cathedralium quàm collegiarum canonicis, parochialium & conuentuum ac regularium ecclesiarum rectoribus, ceterisque uiris ecclesiasticis, necnon notarijs & tabellionibus publicis quibuscunque ac alijs Christi fidelibus ubilibet constitutis, & cuilibet eorum insolidum, ad quos præsentis nostræ literæ peruenerint, salutem & omnipotentis dei benedictionem, ac mandatis nostris & ecclesiæ diligenter obedire.

Clamat sancta fidelium mater ecclesia sponsa CHRISTI, clamat Christiani populi multitudo, clamauerunt iam à multis annis ad dominum, cum per hoc tam urgens diuturnis temporibus schisma pestiferum tribularentur, & tribulantur, nec in totum adhuc exaudiuit eos. Attendunt enim, quanta per hoc infaustum pestiferumq; schisma & diuisionis uulnus nefandissimum, est uniuersalis ecclesiæ calamitas, quæ inueterata scissura, quantaq; localis infirmitas, quæ postremo graues & prope casum ruinæ iam phœdor in uita & moribus, in statu & honestate cleri, tam in libertatibus suis, & quod grauius est, in cultura dei & officijs ecclesiasticis, quodq; grauissimum est, in

ggg iij relig